



J. M. Meile L. S. 1711
25. 1711

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.



33.

DISSERTATIO JURIDICA

De

OSCULIS

SEQVIORI SEXUI

A DIVERSO LIBATIS.

Auctore,

J. L. de M

J. U. D.

Honny soit qui mal y pense!



QVED LIMBURGI,

è Chalcographeo JOHANN. HEINRICI SIEVERTI,
clō lōc xcv.


~~34~~

OSCCULIS

*Suavia describis rerum suavissima Sponfus,
Quae suavi Sponsae, suavis Amice, dabis!*

Sincere Hortaturus Scripsit.





A MONSIEUR

Monfieur de MITHOFF,

Docteur en Droits.

Monfieur,

& tres honoré Cousin,



En'ay jamais profité mieux de mes services, que de ceux, dont il vous a plû de m'honorer nouvellement. Il m'est impossible de Vous exprimer, combien je me suis avancé par vôtre tres ſçavant Discours de baisers, & j'ay beaucoup

)

d'

d'obligation a l' Imprimeur, qv' il, en repetant plusieurs fois les fautes dans l' impression, me l' ait fait souvent relire, dont je me flatte d' avoir attiré tant de science, qve je sçache, à ce qv' il me semble, assés de Theorie, pour devenir Professeur d' une art si charmante. Mais bien loin, *Monsieur*, il me tomboit dans l' esprit, qve, comē toute la Theorie est principalement pour la Pratique, ce seroit de même dans l' art de baiser, c' est pourqvoy m' y voulant appliquer dans la Compagnie, où j' avois l' honneur d' être dernièrement, je voyois, combien j' y fusse encore ignorant, ne pouvant passer qve pour apprentif. Voilà, mon Maître comment se trompe un *αυτοδιδασκ*, & quand on entreprend de s' instruire du papier sans la vive voix, ce n' est qve de regarder en peinture les plus beaux fruits du monde, sans en goûter naturellement leur delicatesses. Cependant parce qve je suis persuadé, qve la quint-essence du monde raisonnable consiste dans l' amour, & qve suivant vōtre avis les baisers soient celle de l' amour, j' aurois peur de degenerer en bête, si je ne trouvois pas en moy quelqve panchant à l' un & à

à l'autre. Enfin j'ay une extrême impatience d'y être mieux éclairci, & je ne scauray appaiser mon esprit sans être parvenu à la perfection. C'est vous, *Monsieur*, qui me pourra tirer de cette peine, & vous y serés obligé avec justice, car en m'ayant mis en tête les premiers fondemens, il faut que Vous me fassies aussi connoître le reste de vôtre étude. Vôtre Theorie fait voir assés clairement, combien vous y êtes Maître, & l'agreable pratique, que vous avés eu jusqv' icy auprès de vôtre Belle, vous menera à un point, qui surpassera aisement tous les sçavans dans cette jolie science. Je sçay comment vous êtes curieux en toutes vos actions, & c'est ce qui me fait croire, que vous ferés bientôt voir des merveilles, après avoir encore un peu continué ce doux exercice, de sorte que j'espere, que vous en aurés un même avantage, que ce Romain *Clodius Hermippus*, qui s'étant servi de l'halene de jeunes filles en bailant, a prolongé son âge jusqv'aux cent & quinze ans. C'est ce que je vous souhaite de tout mon coeur, & que Vous jouissés jusque là de plus cheres



res delices & de plus douces voluptés de la vie, moy
je seray content d'en être témoin, & qvand un heu-
reux destin me fera meriter une pareille jouïffance,
j'auray raison de Vous l'attribuer, étant avec une
fidelité inviolable


Monfieur

Vôtre

Qvedl. 29. Octobre.

1695.

Sincerement Humble Serviteur.



Anè quam festiva sunt quæ de more Angliæ ad Faustum Androlinum alicubi scribit Erasmus: (a) Si Britannie dotes nosset, Fauste, ne tu alatis pedibus huc accurreres, & si te podagra tua moraretur, Dadalum te fieri optares, nam ut è pluribus unum quiddam attingam, sunt hic Nympha divinis vultibus, blanda, faciles & quas Camænis tuis facile anteponas. Est præterea mos nunquam satie laudatus, siue quo venias, omnium osculis exciperis, siue discedas aliquo, osculis dimitteris, redis, redduntur suavia, venit ad te, propinantur basia, disceditur abs te, dividuntur oscula, occurritur alicubi, basiat affatim, denique quocunque te moveas, basiorum plena sunt omnia, quæ si tu, Fauste, gustasses semel, quam sint mollicula, quam fragrantia, cuperes profecto ad mortem usque in Angliam peregrinari. Hactenus ille. Quem morem, tantum abest, ut vituperandum censeam, ut doleam potius, non eundem in Germaniam nostram receptum ubivis esse. Inverecundiam atque lasciviam absit ut patrociner, tantum ubi receptus mos talis est, citra censuram illum esse debere statuerim, osculandoque impudicitiorem aliquam fieri cæteris paribus cum illo apud Comicum (b) negarim.

(a) lib. 5. Epistol. (b.) in Curcul. Act. 1. sc. 1.

§. 2. Cæterum de osculis juridicè commentaturo præmittenda mihi videntur quædam tum de usu osculorum tum de modis osculandi, ubi notandum, Osculum Græcis dici π φιλημα ἀπὸ τοῦ φιλεῖν amare, Germanis ein Mäulchen/ ein Schmäggel ein

ein Kuß / unde Küssen / Herken / uti vertit B. Lutherus Genes.
XXIX. 13. XLIX. 16. Ecclef. III. 5. Ipsisqve Latinis aliàs *basium*
quasi basis amoris secundum Scaligerum. (a) item *suavium*
appositâ allusione ad nescio quas suavitates. Circa quæ id alicu-
bi discriminis observat Donatus. (b) *quòd oscula sunt religionis &*
officiorum, basia pudicorum affectuum, suavia libidinum, quod ta-
men discrimen perpetuum non est.

(a) *De subtilit. Exerc. 310.* (b) *in Terent. Eunuch. Act. III.*
Sc. 2.

§. 3. Si unquam verò alibi, Romæ antiquissimis temporibus
frequens osculi fuit usus in salutationibus, ut morem illum ceu
molestum & crebris occurribus fastidium afferentem proposito
edicto abolitum aliquando voluisse legamus Tiberium Cæsa-
rem, (a) nihil tamen egisse, successu saltem temporis magis
etiam increbuisse colligere est ex Martiali, qui passim Satyricè
illum insectatur. Ita vero ille: (b)

Bruma est, & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvius hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.

& rursus (c)

Effugere non est, Basse, basiatores,
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt
Et hinc & illinc usque quaque quacunqve.

(a) *referente in vitâ ejus Suetonio* (b) *lib. 7. epigr. 94.* (c) *lib. II.*
epigr. 99.

§. 4. In primitiva quoqve Ecclesia sic obtinuisse legimus, ut in
conventib⁹, præsertim sacris, osculis se exciperent dimitterentq;
fideles in signum amoris, quem toties inculcant. Salvator &
Apo-

Apostoli, à quo tamen successu temporis sponte abstinuere illi, quod non deessent, qui illos calumniarentur, quasi non tam DEI sui quam Cotyttus peracturi sacra convenirent, conveniebant autem propter persecutiones ferè noctu. Ubi notandum, non id tum obtinuisse, ut viri sceminis & hæ illis oscula promiscuè libarent, id enim fuisset contra *σμιχρότητα*, quam in Christianis requirit Apostolus *Philipp.* IV. 8. & monitum ejusdem ut abstinerent etiam à specie mali, *1. Thessal.* V. 22. contrariumque ex ratione sessionis in conventibus Ecclesiasticis, ubi sexus sequior separatim considerabat à virili, rectè observavit *Cardin. Baronius.* (a) Nec aliud Romæ olim in summâ illâ osculo obvios salutandi licentiâ receptum fuisse, planeque à moribus Romanis abhorruisse dixerim, ut viri sceminis in publico obviis oscula promiscuè propinarent.

(a) *Annal. tom. 1. ad A. C. 45. §. 26.*

§. 5. Ad modum quod attinet, sic obtinuit, ut summis labris labra sibi stringerent invicem se osculantes, quod propriè *libare osculum* dicebatur, cui ferè accedebat amplexus eò arctior quo amor vehementior.

§. 6. Illud observandum, peculiariter in more habuisse *amantes*, clemente morfu labella sibi invicem vellicare, uti loquitur Apulejus, vel ut idem effert Lyricus (a) memorem labris notam dente imprimere, nec labris tantum sed & collo & pectori. Innuit id ipsum Flora, quam toties gloriatam refert Plutarchus, (b) quod è complexibus Pompeji nunquam nisi bene morfa dilcefferit. Facit huc locus M. Tullii (c) *Hic scilicet est metuendum, ne exciatur Verres, ne denudetur à pectore, ne cicatrices Populus Rom. aspiciat ex mulierum morfu, vestigia libidinis ac nequitia,* & apprime ille Comici (d) ubi inter blanditias amantium referuntur:

A 3

Jo-



*Fœtus, ludus, sermo, suavis suaviatio,
Compressiones arcta amantium corporum.
Teneris labellis molles morsuuncula,
Papillarum horridularum oppressuuncula.*

(a) lib. 1. Od. 13. (b) in Pompejo. (c) 6. in Verrem. (d) in
Pseudulo Act. 1. Sc. 1.

§. 7. Est & illud observatu fortè non indignum, consue-
visse qui osculum amasiæ figebat, auriculam prehendere basi-
andæ, & sic luctantia carpere basia, ut verbis id efferam Martialis,
(a) quo alludit ille apud Comicum (b).

Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem suavius.
& alibi (c.)

Prehende auriculis, compara labella cum labellis.

Quod sic obtinuisse dixerim, quò commodius (suaviusq; fige-
rentur oscula, neve in arbitrio esset puellæ motu capitis amasi
conatus eludere ac frustrari. Cumque memoriæ consecrata au-
ris esset, & hoc inuere voluisse basiantem putârim, ut basia
basii viveret memor. *Florentinum* id osculum dictum fuisse notat
Lal. Bisceia lib. 7. horar. subseciv. cap. 13. sub. fin.

(a) lib. 4. epigr. 22. (b) in Pœnul. Act. 1. sc. 2. (c) in *Asti-
nar. Act. III. sc. 3.*

§. 8. Nec prætermittendus mos non minus festivus,
quo se dissvaviantes hianti ori extremam utrinque intrude-
bant linguam, quod osculum dictum fuit *columbinum*, Græcis
καταγλωττισμα à *καταγλωττιζω* linguam ori inserere, qualia
Martialis (a) vocat: *Basia blandas imitat a columbas*, & Buchananus
(b) *Oscula commissas inter luctantia linguas*. Facit huc locus Tibul-
li. (c)

Et

*Et dare anhelanti pugnantisque humida linguis
Oscula, & in collo figere dente notas.*

(a.) lib. 11. epigr. 105. (b) in Franciscano suo. (c) lib. 1. in
eleg. 9.

§. 9 Persualum autem, ut & hoc obiter moneam, fuit priscis &
haud scio an non adhuc sit illis qv̄i amant, errantes amantiū ani-
mas per osculū hinc & hinc transfundi; probat id loc⁹ Aristinatis;
(a) Οἱ ἐρῶντες φιλημασιν ἐπισυνάπτουσιν τὰς ψυχὰς, αἰεὶ ὄρασι
αἱ ψυχὰι διὰ τῶν στομάτων πρὸς ἀλλήλας, καὶ περὶ τὰ χεῖλη συν-
απτῶσιν, καὶ ἡ μίξις οὕτη γλυκεῖα γίνεται τῶν ψυχῶν id est.
*Amantes per oscula jungunt animas, festinant in vicem anima per ora,
concurruntque circa labia, & mistio dulcis fit animarum.* Inquit idem
Venus apud Bionem (b)

*Surge parum mi dulcis Adoni & oscula sume hac
Ultima, tuque dato, sed quantum vivida possunt
Oscula perdurare, anima dum prorsus ab ipsa
Per mea labra means, jecorisque sub intima nostrā
Spiritus ille tui dulcissimus influat oris.*

Ex metaphrasi Eobani Hessi. Quo aut fallor aut referendum
quoque quod de Rudolpho I. Cæsare refert Cuspinianus: Se-
nio confectum illum hecticaque decumbentem feбри consve-
visse epulo subinde excipere Procerum aulæ uxores & filias vir-
gines, illasque presentibus etiam maritis & Parentibus oscula-
ri, ac dicere, non posse presentius se reperire remedium quo
effœctum corpus vegetius redderet, quàm animas virginum dul-
ces & suaveolentos spiritus ex earundem hauriendo ore.

(a) lib. 2. epist. 19. (b) Eidyll. 1.

§. 10. Quibus præmissis age videamus quid sit osculum: Ubi
inge.

ingenuè fateor, aquam mihi hæere, planeque si infles urgeasq;
ablegarim te quis quis es, cui adhuc sanguis calet, ad venu-
stam puellam, ut osculum illi figas, proprioque experimento,
quid sit, comperias. Utiq; si qualiscunqve non displiceat descri-
ptio, dicemus, quod *osculum*, (loquimur autem de osculo sexui
sequiori à diverso fixo) sit *actus delectabilis, remotè disponens ad li-
bidinem*.

§. II. Osculum actum delectabilem esse qui neget erit fortè
nullus: Produco testem, si teste opus, *Theocritum*, (a) ita ve-
rò ille:

Ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι Φιλήμασιν ἀδεια τέλει.

Inest etiam inanibus osculis voluptas suavis.

Illud hîc quæri posset, in quo tandem illa consistat delectatio?
Et dixerim in opinione, quo tamen ipso tantum abest ut abje-
ctius sentiam de voluptate, quam ex osculis percipimus, ut pla-
ne perfectissimam illam statuam, prout perfectissimum quodq;
animo expeditius concipere quam exprimere verbis possamus.
Et videmus sane rerum cæterarum omnium amantibus subo-
riri fastidium, solis osculis illos exsaturari non posse, etsi ob-
tinuerint.

— *Basia mille deinde centum*

Dein mille altera, dein secunda centum,

Dein usque altera mille, deinde centum

Quæ dari voluit sibi Catullus. (b)

Quod egregiè confirmat Achilles Tatius. (c)

Τὸ μὲν γὰρ ἔργον Ἀφροδίτης δὲ ὄργον ἔχει καὶ κόρον καὶ ἔδεν ἐστὶν
ἴαν ἐξέλης αὐτὰ τὰ Φιλήματα. Φιλήμα δὲ καὶ ἀφροσύνη ἐστὶ καὶ ἀκό-
ρητον καὶ κενὸν αἰεὶ. id est, *Veneris ἔργον procul dubio ἔ modum
ἔ satietatem habet, nec prorsus quicquam est, si basia eximus,*
basium

basum verò nullo terminatur fine, nullâ satietate afficit, sed semper re-
gens est. Id monuisse opus forte non erat, ad svavitatem gra-
tiamque osculi mirum quantum conferre florentem foeminæ
ætatem venustatemque, illamque vel minuere prout vel vo-
lenti vel repugnanti aliquo modo libatum illud fuerit.

(a) *Eidyll.* 3. & 27. (b) *carms.* 5. (c) *Ἐρωτικῶν* lib. 4.

§. 12. Diximus remotè ad libidinem disponere osculum, quod
ita accipi volumus, ut qui osculum foeminæ honestæ figit, il-
lam ne intendere quidem sed acquiescere censeatur in volu-
ptate seu verâ seu imaginariâ quam actus ipse per se habet. Cum
enim quilibet præsumatur bonus. *l. 5. §. à barbaris 6. de re mili-
tari c. fin. X. de præsumt.* præsumendus minimè est expetere à foe-
minâ in quod consentire illa pudica non potest.

§. 13. Ut fatendum sit nimis quàm iniquè de osculis sentire
Ameisum (a) dum illa suâ naturâ ad commixtionem corporum
tendere, ejusque quandam quasi inchoationem esse statuit. Ut
enim de specie osculi, luxuriosi scilicet, verum illud esse ultro ei
largiamur, de osculis tamen in genere absit ut asseramus.

(a) *de conscient.* lib. 5. cap. 39. §. 22.

§. 14. Cæterum decidenda hîc quæstio præjudicialis: Ho-
nestene à puella expeti osculum & hæc consentire in illud pu-
dica possit? Quod asserere nulli dubitamus, sic tamen ut ex-
clusum hîc velimus osculum columbinum, & si quod aliud est
lascivius. Pridem enim explosus error est Begvinarum, qui
osculum mortale volebant esse peccatum. *clém. ult. de Heretic.* Si
dicas: utique ex hypothese nostrâ ad libidinem disponit oscu-
lum, viderique adeo in osculum consentientem in ipsam con-
sentire copulam, ut qui consentit in antecedens in consequens

B

quo-

quoque consentire præsumitur, negabimus consequentiam, quod quæ in osculum actum licitum consentit, in copulam quoque actum extra conjugium illicitum consentire intelligatur, haud secus ac non statim in ebrietatem consentire præsumendus est, qui in largiorem, amico invitante, consentit potum. Sed instas: pudor ipse, quo suffundi advertimus puellas dum osculum illis surripitur, aliquid subesse arguit turpitudinis, ecquis enim nescit Creatorem sapientissimum animis hominum pudoris indidisse affectum tenerrimum, ut quasi custos esset virtutis. Verum sciendum, pudorem suboriri non ex solâ actionum turpitudine, sed sæpe ex re quavis aliâ etiam non turpi, quatenim non videmus erubescere ob deformitatem aliquam corporis, ob paupertatem, sordidiorem vestitum, ob errorem etiam innoxium & ignorantiam pariter quæ citra culpam adest, facit huc apprimè locus Siracidis XLI. 19. Solent quidem & ex sacro codice in contrarium hîc afferri quædam, & quidem illud Siracidis. IX. 11. 12. *Siehe nicht bey eines andern Weibe und herge dich nicht mit ihr* ex versione Lutheri, nec non 1. Corinth. VII. 1. bonum est non tangere mulierem. Verum non deest quod hisce reponamus: Siracides enim loquitur de muliere luxuriosâ, locus autem ad Corinthios perperam afferri huc videtur, tò *tangere* enim ibi accipiendum non propriè, quasi nec manu atrectare fas sit mulierem, in quâ hæresi, quod mireris, Hieronymus olim fuit, sed *συνουχικῆς* de ipsâ *συνουχία* *χαμινῆ* uti quoque sumitur *Genes. XX. 6, XXVI. 11, Proverb. VI. 29.*

§. 15: Restat ut dispiciamus, quid tribuendum sit præsumptioni de quâ ita alicubi *Ovvenus*:

Quæ dedit os - culum non minus illa dabit.

& *Comicus. (a)*

Flamma fumo proxima est.

Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem,

Qui vult cubare scandit sinum suavis.

&

& Naso (b)

*Oscula qui sumsit si non & cetera sumsit,
Hoc quoque quod sumsit, perdere dignus erat.*

Quo & refero quod gradus seu lineas amoris constitui videmus: videre, alloqui, osculari, potiri, vid. *glosf. in l. quod ait ff. ad L. Jul. de Adulter.* Et ut fundatam illam non abnuerim, si de luxuriosâ foeminâ, cui libatum dicitur osculum, vitâ aliunde constet, vel à suspectâ personâ, scortatore publico, vel quovis alio in loco suspecto libatum illud sit, sic nihil ei tribuerim, si foeminâ honestâ à personâ honestâ libatum fuerit, nec aliud dicendum putarim, licet non adeo reluctanti illud fixum fuisse perhibeatur. Ut ut non negârim, rectius existimationi consulturam, si non nisi cum luctâ quâdam in oscula consenserit. Nuptis planè ut non nisi invitissimâ in osculum consentiant, auctor fuerim, quod fieri non possit, ut non suspicionis quid moveant maritis, cui eo illi indulgebunt lubentius, quo teneriori amore conjuges prosequuntur, impatientiusque ferunt rivalem. nam

Res est solliciti plena timoris amor. (c)

Nec enim de nihilo est, quod pejus vulgo de his quam innuptis præsumi videmus castis magis si non virtutis amore saltem metu. Meminerint itaque abstinendum sibi esse non tantum à malo sed & à suspitione mali *l. incivilem. 2. C. de furtis.* Puellas autem ut nec faciles nimis sic nec nimis difficiles esse velim, omne verò laturum punctum censuerim, si quæ fragrantia ad oscula detorquevere probè cervicem faciliqve saevitia negare, & quæ à poscente eripi gaudet rapere oscula sciat, ut verbis utar Lyrici (d) planeqve huc applicarim, quod in alio sensu affertur ab JCto in *l. Solent 6. §. non verò. 3. de offic. Proconsul. Inhumanum esse à nemine accipere, sed passim vilissimum, & omnia avarissimum.*

B 2

pau-



pancisque mutatis dixerim, incivile multi osculi copiam face-
re, sed passim vilissimum, & quibusvis turpissimum. Respici-
endum autem hinc censuerim præter locum ad personam quæ o-
sculum ambit, ut prout cognata illa vel extranea, nota vel igno-
ta, proborum vel reproborum morum, puella vel invita vel
invitissima in osculum consentiat, ut juvenem puellæ, dum lu-
dit (a) violam dulci dulcius ambrosia (c) surripientem; si hæc
illi collare lacerarit, quod rarò accidit, nec quicquam de da-
mno dato conquesturum putem; cujusmodi puellarum sectis
in juvenes ungvis acrium meminit *Horatius lib. 1. od. 6.*

(a) in *Curcul. Act. 1. sc. 1.* (b) *lib. 1. de arte amandi* (c) *Heroid. epist. 1.* (d) *lib. 2. od. 12.* (e) *Catullus carm. 100.*

§. 16. Osculorum genera diversa afferunt diversi. Nos, qui-
bus propositum est agere de illis quatenus in jure effectum for-
tiuntur, dividemus illa in oscula *honestæ affectionis & luxuriosæ.*
Ubi meminisse debemus, in dubio illius potius quam hujus ge-
neris censenda, eamque capiendam hinc interpretationem esse,
ut delictum excludatur. *l. merito. si. in pr. pro socio. junct. l. semper
16. de R. J.*

§. 17. An verò osculum sit *luxuriosum* ex circumstantiis di-
judicandum, respiciendumque hinc arbitramur præter morem
regionis præcipuè ad locum & personas. Nam quoad illum re-
fert, publicus ille, sacer, conclusus, remotus, tenebrosus fuerit;
quoad personas iterum inspicienda tum *quæ osculum figit,* inter-
est enim, cognatus ille fuerit an extraneus quispiam cætera i-
gnotus, laudatæ an illaudatæ vitæ, senex an juvenis, maritus
an solutus, tum *cui osculum fixum,* refert enim nuptæ an innu-
ptæ, florentis an provectæ ejusque ætatis, cujus Sara *Genes. XIX.
11.* formosæ an deformi, qualis *Vetustilla* apud Martialem (a) &
illa de qua *Epod. od. 8. Lyricum,* libatum osculum fuerit. Ut si
in

in loco concluso à juvene puellæ non invitæ osculum fixum dicatur, illud non possit non pro luxurioso haberi, faciunt huc verba Oenonis apud *Ovidium* (b)

A juvene & cupido credatur reddita virgo?

quale etiam præsumitur in loco remoto & tenebroso fixum, male enim agere præsumitur qui odit lucem, c. *consuluit. X. de offic. & potest. judic. deleg.* De quo minus dubium si ad tale osculum & tactus lascivior accesserit.

(a) *lib. 3. epigr. 93.* (b) *Heroid. epist. 5.*

§. 18. Limitant prædicta Canonistæ ut non procedant in Clericis, quod hi in amplexibus foeminae deprehensi ei benedicere voluisse præsumendi sint, gl. *inc. absit* 11. *quast. 3.* quod in sanctos scilicet viros istos nulla cadat suspicio turpitudinis, melius de his præsumentes quam dominis carnalibus uti Laicos vocant (a) quod hos in tali occasione continere se non posse crederent; illos *ἀπαθείς* esse sibi persuaderent. Verum rectè id jam olim displicuit *Menochio lib. 5. præsumt. 41. n. 20.* & *Mascardo de probat. vol. 1. conclus. 59. n. 17.* & cui non displiceret vitam Monasteriis mancipatorum intuenti, quam non minus verè quam eleganter descripsit *Buchananus in Franciscano suo.* Audacter dixerim potius contra clericos præsumendum hinc esse, eoque magis, quo enixius consortium foeminarum illis interdictum. Permissum quidem Canonibus illis olim fuit, ut matrem vel sororem domesticas habere liceret, l. *eum qui 19. C. de Episcop. & Cler. Nov. 137. c. 1. in fin.* Sed cum ne a matribus quidem & sororibus (quo nomine extraneas quasvis, quas cœlibatûs adsciverant socias honorabant) abstinerent constuprandis, omne plane foeminarum interdictum ipsis fuit contubernium. c. 1. *X. de cohabit. cleric. & mul. facit. c. clericus. 20. dist. 81.* De Monachis quæri posset, an cum clerici non sint. l. *generaliter 52. c. de Episcop. & cleric. æque favorabiliter de iis præsumerint Canonistæ? Quicquid sit, est de illis disertus textus in c. monachi*

de consecrat. dist. 4. quo osculum illis interdicitur mulieris; Prout verò benignè adeo de clericis juris Canonici ininterpretes, sic malè contra de scholaribus præsumere Doctores nostri, Meretricem præsumentes vel adulteram cum quâ loqui saltem visus fuit scholaris, loquuntur autem in terminis da dergleichen bey einer Nacht, visite attrappiret worden. quod non præsumatur orasse cum pater noster, uti loquitur alicubi Baldus (b) noster.

(a) *c. si quid, 23, qu. 5.* (b) *in l. neque natales C. de probat.*

§. 19. Sed jam quosnam in jure effectus sortiatur osculum videamus, & primùm quidem quatenus locum faciat actioni injuriarum. Ubi notandum deterioris olim conditionis apud Romanos fuisse & etiamnum apud Italos & Hispanos esse sexum sequiorem, ac est apud nos vicinosque Gallos, Belgas & Anglos. Romani suspectam habebant pudicitiam puellæ, si familiaris sola cum solo colloqui ac joculari visa fuit, nec intactam credebant si osculum sibi figi passa, cumque adeo publicè interesse crederetur pudicitiam sexus sequioris extra suspicionem esse, injuriarum teneri voluerunt qui osculum fixisset invitæ *Seruv. in Syntagm. Jur. Exerc. 48. Th. 58.*

§. 20. Ut autem dictæ actioni sit locus, requiritur (1) ut qui osculum fixit, fuerit doli capax illiusque ætatis ut sinistra aliqua suspicio in illum cadere possit, ubi dispiciendum, quid de ebriis & amore captis dicendum sit. Et quod ad hos attinet, cum amor sit species furoris *Nov. 74. c. 4.* & amore captus furioso æquiparetur per tradita *Meuochii lib. 2. de A. J. Q. casu 328. n. 1.* talis autem frustra actione pulsetur *l. illud, 3. §. 1. de injuriis l. Divus. 14. de offic. præsid.* dicendum videbatur impune tali cessurum osculum, quod tamen altioris esse indaginis decisionemque quæstionis hujus pendere censuerim ab aliâ, an amor tantus fuerit

erit ut quasi extra se positus tum fuerit, qui deliquit, de quo ex facto iudicandum. Vide quæ amoris notet *τεμπησια Anton. Gvibertus Costanus in Polyhistore cap. 8.*

Circa ebrietatem vulgo distinguunt, an immodica tantaque ea fuerit, ut mentis exilium induxerit, an verò tanta non fuerit, illam à dolo excusare non item hanc tradentes; nos salvâ aliorum sententiâ etiam in summo quod dici solet gradu ebriis mitigandam potius quam remittendam omnino esse pœnam persuasi sumus, tantam autem fuisse ebrietatem nihil eorum, quæ perpetravit ut recordetur, aliis deficientibus conjecturis iurato purgabit in ebrietate se fundans, cum sæpiuscule illa affectetur, ut tanto licentius peccetur, juxta monitum Magistri amorum (a)

Ebrietas ut vera nocet sic ficta juvabit,

Fac titubet blaso subdola lingua sono

Ut quicquid dices faciesve protervius equo

Credatur nimium causa fuisse merum.

(2) ut osculum fixum fuerit invitæ, quod an præsumendum sit non adeo expeditum videtur, nos de eo ex circumstantiis iudicandum arbitramur, sic ut meminerimus reluctanti aliquo modo fixum osculum non ideo invitæ statim fixum censendum, sed distingvendum hîc esse cum Alexandro III. Papâ inter vim & vim in c. 6. X. de sponsal. notus enim est ille puellarum *ἀνησπεός* de quò idem lascivi Præceptor amoris (b)

Vim licet appellent, grata est vis illa puellis,

Quod juvat invitæ saepe dedisse volunt.

Ferè enim repugnare juvenibus illas videmus uti Corinna apud eundem. (c)

Qua

*Quæ cum pugnaret, tanquam quæ vincere nollet,
Victa est non agrè proditione sua.*

Quo & referendum quod in terminis tradit Apulejus, Omnibus inqviens mulieribus hæc ars usitata est, ut cum aliquid ejusmodi velle cœperunt, malint coacta videri.

(3) ut fœmina fuerit honesta, qualis præsumitur quælibet, donec probetur contrarium, etsi humilis ac paupertinæ fuerit fortis, majus enim & minus ratione fortunæ & divitiarum non constituunt diversum jus per tradita *And. Gailii, de arrest. Imper. cap. 4. n. 4.* Ut ut diffidendum non sit, esse quasdam de quibus non adeo magnifice præsumunt jura & Doctores, illius farinae sunt, quæ in scenam prodeunt lucri causa, l. 1. l. 2. §. fin. ff. de his qui not. infam. quæ in cauponis ministrant, l. quæ adulterium. 29. C. ad l. Jul. de Adult. adde l. palam. 43. §. si qua. 4. de R. N. hujus furfuris verò quæ scholaribus à lectis sunt, lotrices item auf Univerſitäten und bey grossen Höfen. *Berlich. p. 4. concl. 38. n. 82.*

(a) lib. 1 de arte amandi (b) d. lib. 1. (c) *Amorum lib. 1. eleg. 6.*

§. 21. Quod autem diximus, injuriarum actioni esse locum, si fœminæ honestæ osculum fuerit fixum, limitandum, ut secus sit, si cum osculum ei figeretur in loco suspecto vel cum personis sui sexus suspectis fuerit; Parum quoque acturam putarim, si alio tempore oscula atq; etiam tactus impudicos admisisse convinci possit, ut ut non sufficere crediderim, probasse vel aliunde de eo constare, illam aliquando corporis sui copiam fecisse, cum amore victa in corpus suum peccasse, in præsens autem honestè vixisse profumi possit.

§. 22. Illud quæri posset an sæpe dictæ actioni & hodie apud nos locus sit, Et esse tradunt *Servu. superius alleg. th. 58. Stranch.*

dis-

dissert. 19. aphor. 14. Dn. Strykius de jure sensuum dissert. 7. cap. 5. n. 12. Dissentiente quoad innuptam Dn. Christ. Thomasio in annot. ad Strauch. modo alleg. aphor. 14. Agetur autem hic æstimatorie ubi iudex in determinando quanto respiciet ad conditionem tum illius qui osculum fixit, tum cui illud fixum, ejusque Parentum & mariti, planè si, qui osculum fixit, de plebe, illa autem cui illud fixum diversæ longè conditionis fuerit, agi poterit etiam criminaliter ad fustigationem. Dn. Stryk. d. cap. 5. n. 13. Utiqve peculiare est statutum Neapolis, quo tale osculum poenâ capitis vindicari tradunt Vivini decis. 117. Thom. Grammat. consil. crim. 48. Zelotypiam prædens Italorum.

§. 23. Diximus supra § 19. laborasse existimationem scœminæ si osculum sibi figi passa. Ubi notandum, præsumtionem illam cessasse, si, qui osculum fixit, fuerit vel Pater vel maritus, his enim ab omni ævo apud omnes gentes competiit jus osculi; secundùm maritum & Parentem competiit illud quoque fratribus & sponso, amorem enim tollunt inter desponsatos qui oscula tollunt. A fratribus idem quoque jus sibi vindicarunt Cognati, saltem proximiores, sic ut pro his quoque militâre præsumptio honestæ affectionis. Alludit eo Propertius (a) sic ad Cynthiam scribens:

Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,

Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.

(a) eleg. 6. lib. 2.

§. 24. Controvertitur hic, an ut ad defensionem pudicitiae, cujus integritate decus sexûs foeminini unicè æstimatur, violentum stupratorem rectè interficit scœmina, per tradita H. Grotii lib. 2. de jure B & P. cap. 1. §. 7. idem ei liceat ad declinandum osculum? Et si dicas, satis consultum illi esse hoc casu actione injuriarum, ponemus casum quo solus soli supervenit, metusque subest, ne ubi Lucretiam suam occupârit Tarquinius, extremâ linæâ amare occipiat. Quod planè affirmandum videtur, si casus in terminis contingat. Facit huc, quòd metus stupri major esse

esse dicatur quàm mortis *l. isti quidem 8. §. pen. Quod met. caus.*
Putâri tamen, rectius conscientiæ consulatur, si blanditiis potius quàm ferro impurum amatorem amoliri ejusque morari impetum annitatur huc necessitatis redacta fœmina.

§ 25. Est & ille osculi à sponso sponsæ fixi notabilis effectus, quod, si humanitus quid contigerit illi antequam confirmarentur nuptiæ, dimidiam partem ante nuptias donatorum lucretur sponsa per textum in *l. si à sponso 16. C. de donat. ante nupt.* ubi notandum, erroneam esse opinionem interpretum qui statuunt, lucrum hic cedere puellæ in compensationem virginitatis quam osculo delambi putant. Facit huc locus Ovidii (a)

Si reddenda fores aliquod tamen ante tulissem,

Nec Venus ex toto nostra fuisset iners.

Vel tua virginitas esset libata, vel illud

Quod poterat salvâ virginitate rapi.

Quod ipsum sine dubio est osculum. Sed & illa nimia forte Ddram est subtilitas, requirerentiam, ut hoc osculum interveniret principaliter sponsæ gratiâ, hoc est, ut sponsa illud dederit sponso, [b] quid ni enim, dum osculum accipit sponsa, rectè illud, dedisse dici posset? uti argutè alicubi *Ovvenus:*

Basia, Philli, aliis dare non vis, at data sumis,

Nimirum scis hæc accipiendo dari.

(a) *Heroid. epist. 16.* (b) *Conf. Mevium ad jus Lub. lib. 1. Tit. 6. ad rubr. n. 12.*

§ 26. Est & ille non minus notabilis osculi effectus, quod suppleat consentum sponsalium, sponsaliaque adeo ex osculo rectè probentur. Scilicet cum hæc nudo consensu utcumque declarato contrahantur, vel solum autem nuptiarum nomen ruborem excutere puellæ præsumatur, malitque illa quidvis potius quam virum experuisse videri. *Conf. e. honorantur 32. qu. 2. utique rationis fuit æquipollentia admisisse, ex quibus consensus inferatur, cujus generis sunt quoque, si anulum digito inseri sibi sponsa patiatur, si osculi copiam ipsi faciat. Ubi meminisse debemus sic demum hoc procedere, si de animo contrahendi spon-*

sponsalia certò constet. Et autem, quod diximus sponsalia ex osculis probari, non obstat, quod in causis matrimonialibus probationes luce meridiana clariore requirant Dd. *Conf. Gail. lib. 2. observ. 91. n. 1.* Restringendum enim hoc ad casum quo agitur de matrimonio dissolvendo, ut secus sit, si quaestio sit de contracto probando.

§. 27. Propinquitatem osculo non contrahi est textus in *c. lex divina const. 27. qv. 2.* sed ut hæc contracta dicatur, aliud quid accessisse debuit. Quod ne accesserit, neve quæ desponsati sibi libârunt invicem oscula Venus quintâ parte sui nectaris imbuerit, ut ait *Lyricus (a)* cum metus sit, est inde, quod etsi non veram, præsumtivam saltem affinitatem hîc agnoscant Ddres, cuius is effectus, ut impedimento sit, quo minus sponsam prædefuncti fratris uxorem ducere possit.

[a] *lib. 1. od. 13.*

§. 28. Illud notandum, moris antiquitus fuisse sponsas in domum sponsi deduci, cujus domum ductionis complura in jure nostro sunt vestigia, quas in limine excipiebant sponsi & quidem osculo. Planeque antiquissimum illum fuisse morem indicio est, quod idem quoque apud Persas obtinuisse refert *Arrianus. (a)* ad quem alludere quoque videtur qui dixit sponsam non virginitatem modo illibatam, sed & oscula ad maritum perferre debere. (b)

(a) *lib. 7. Histor. Alex. M. (b) Valer. Max. lib. 6. cap. 1. n. 4.*

§. 29. Osculum, quod restringe ad luxuriosum, actum venereum esse tradunt communiter Dd. *arg. c. nec aliqua 27. qv. 1.* Unde illa adulterii præparatoria vocant, gladiatoria Veneris antecœnia dixit *Apulejus (a)* prænuncias flagitii blanditias *Tacitus (b)* libidinis incentiva alius. Præparatoria autem dum dicimus, intactum relinquere non possumus errorem illorum, qui statuant, osculum sufficiens & legitimum indicium facere adulterii. Requirit enim jura ut adulterium probetur veraciter, *Nov. 117. c. 8. §. si de adulterio. 2. & Ddres, ut probationes sint con-*

cludentes, quoniam in luce meridiana clariores *l. fin. C. de probat.* qualem quis dixerit ab osculo desumptam conjecturam magis de futuro quam praeterito adulterio fidem facientem. Verum inquis, oscula adulterii praeparatoria esse concessimus modò, his ergo probatis & ipsum adulterium probatum videri, plane ut probato antecedente, probatum quoque intelligitur consequens. Verum negamus consequentiam: Supra enim monuimus, in dubio eam circa oscula capiendam esse interpretationem, ut delictum excludatur. Sed instas: Utiqve adulterium difficillimæ est probationis, quòd occultissimè perpetretur, & nulla post se relinquat vestigia. *Proverb. XXX. 19.* in iis autem quæ difficilis sunt probationis etiam conjecturas & praesumptiones admitti. Ad quod respondemus, nec nos inficiari, conjecturis adulterium praesumptivè probari, sed illis, quæ à legibus approbatæ, quæque tales sunt, ut vix audeat, contra quem praesumptio est, delictum diffiteri, cujus generis sunt: Si solus cum solâ, nudus cum nudâ eodem in lecto deprehendatur *c. literis. 12. X. de praesumpt.* qualis minime est, ab osculo quæ desumitur. Notanter autem diximus, praedictis conjecturis praesumptivè adulterium probari, vix enim est, ut verè possit: Non enim sequitur, nudus cum nudâ eodem in lecto deprehensus est, ergo carnaliter foeminam cognovit, & per consequens commissum fuit adulterium, quid enim? quid si vel hæc fuerit arcta & talis ut mulier fieri non potuerit, de qua *l. quaritur. 14. §. mulierem. 7. de Edil. Edict.* vel ille frigidus, vel maleficiatus, vel tum saltem non potuerit, ut in simili dixit ille apud Terentium. Illud observandum, minimè hic sufficere, si testes deposuerint, quod solam cum solo, nudam cum nudo viderint, sed præcisè necessarium esse ut jurârint, quòd credant, copulam carnalem intervenisse. Meminerint itaque causarum patroni, ut super credulitate hæc forment articulos. Cæterùm quales quales etiam hæc sint conjecturæ, quas fatemur esse prægnantes, non tamen illæ sufficiunt, ut probatum intelligatur adulterium hæctenus, ut pœnæ

de V. O. Illud fatendum, durus cum marito vindice tori
conjugalibus, uti eum appellat Constantinus Imp. in *l. quamvis*.
30. c. ad *L. jul. de adult. agere jura*, dum patientiam illi imponunt,
ut ne in ipsâ quidem turpitudine deprehensum adulterum, si
persona vilis non fuerit ex justo dolore contumelia saltem affi-
cere fusteque probe dedolatum nudum è domo exturbare lice-
at. *arg. l. nec in eâ 22. §. pen. ff. d. c.* & quod ne personam quidem
vilem *conf. l. marito. 24. pr. eod.* in ipsâ turpitudine deprehensum
sed non domi suæ, vel domi quidem suæ, si illam non inhabitet,
interficere licuerit. *d. l. 23. §. 3.*

§. 32. Hoc tamen jus mariti est, ut si cujusquam cum
uxore commercium ipsi suspectum sit, denunciare illi
possit, ut absteat in posterum. *Nov. 117. c. 15. Auth. si quis ei.*
C. ad L. Jul. de Adulter. Cujus denunciationis is est effectus,
ut si denunciatum aliâ vice apud uxorem deprehenderit, jure
eum occidere possit, etsi adulter putativus vilis persona non fu-
erit, quod sic receptum in odium spernentis talem denunciati-
onem. *Nevizan. in sylvâ N. pt. lib. 1. n. 103.* Requiritur autem
ut denunciatio præcesserit trina ex intervallo unius saltem diei
facta. *Neviz. d. lib. 1. n. 105.* utque super denunciatione instru-
mentum confectum, illud à tribus subscriptum testibus fuerit.
Neviz. d. lib. 1. n. 103. Illud quæritur, an non injuriam con-
venire denunciatus denunciante possit? Et verius quod non
possit, cum qui jure suo utitur nemini facere injuriam intelli-
gatur. *arg. l. 13. §. 1. de injuriis. l. 5. §. 3. ad L. Aquil.*

§. 33. Illud quoque jus mariti est, ut uxorem adulteram ac-
cusare possit vel criminaliter, vel civiliter, quod jus expirat
interveniente remissione vel expressâ per reconciliationem
vel tacitâ ex factis illatâ e. g. accedente copulâ. Ubi tamen re-
quiritur (1) ut pars innocens conscia fuerit adulterii, *Sanchez. de*
Matrimon. lib. 10. disp. 14. n. 9. (2) ut sponte illa intercesserit.
Sanchez. d. disp. n. 13. quæritur autem, idemne juris si oscula in-
tervenerint? Et videtur affirmandum, quia sunt actus conju-
gales. §. 34.

§. 34. Adulterarum hæc quoque poena erat, ut dote multarentur *Nov. 117. c. 8. §. si de adulterio. 2.* Quod tamen ipsum sunt qui in dubium revocent ob *auth. sed hodie C. ad l. jul. de adult.* ex quâ ita argumentantur: Dotis amissio contingebat olim propter divortium. *conf. l. consensu. 8. C. de repud.* Sed hodie fieri non potest divortium inter virum & uxorem *c. 2. XI. de translac. Episcop.* ergo nec dotis amissioni est locus: Verum jam supra monuimus, agi propter adulterium vel civiliter vel criminaliter, si agatur criminaliter, locum non esse amissioni dotis ipsi concedimus, quia adultera virgis caesa in monasterium detrudebatur, aliaque fiebant de quibus in *d. auth. sed hodie.* Itaque hoc demum casu amissioni dotis locum esse statuimus, si agatur civiliter ad separationem. Quæritur autem idemne obtineat, si oscula luxuriosa probetur passa? Putarunt id non infimi subsellii *DD.* argumento ejus, quod in *l. consensu 8. §. 3. C. de Repudiis*, traditur, dote multandam esse mulierem si ignorante vel invito marito convivii extraneorum interfuerit, plus autem esse dicunt oscula quam convivia appetere. Sed communior eademque & verior est negativa, pro quâ faciunt textus in *d. l. 8. §. 3. junct. l. fin. §. fin. C. eod. tit. Nov. 117. c. 8.* ubi: *solas sufficere, & rursus: nisi nominatim.* Facit, quod poena privationis irroganda minimè sit, nisi in casibus legibus expressis *Menoch. de A. J. Q. lib. 2. casu. 276.* & quod poena, quam delicto consummato imponit lex, producenda nullatenus sit ad casum, quo attentatum illud tantum fuit. Facit huc quoque *c. odia. & c. in poenis. de R. I. in 6.* Ex quibus modo deductis respondemus ad *d. l. 8. §. 3.* in contrarium allatam, nobis sufficere debere, Imperatorem cujus intentio erat, causas omnes, ob quas sive vir sive uxor divertere possent, colligere, illas inter non retulisse osculum. Ad argumentum ex *c. 1. vers. si fideles. Quem. feud. amitt. 1. FF. 5.* quod dissentientes pro se allegant, respondemus paucissimis, perperam argumentum ex jure feudali ad decisionem quæstionum non feudalium desumi. Cæterum negativa hæc tum demum locum habebit, si constet adul-

adulterium secutum non esse. Quod si enim maritus dicat illud secutum esse, idque probare velit per huiusmodi conjecturas, utique dicendum, locum esse dictæ amissioni dotis, quia quando agitur de crimine adulterii civiliter ad amissionem dotis, non requiritur probatio plena, sed sufficiat etiam conjecturæ & præsumptiones.

§. 35. Viduam seu mulierem vacantem, uti vocatur in *l. qui secutum. §. 2. ad L. Jul. De vi public.* si in stuprum consenserit ante, nuptiali donatione & secundum proprietatem & secundum usum privandam esse, est textus in *Nov. 39. c. 2. §. 1.* Idem an obtineat si in oscula luxuriosa consensisse convinci possit, quaeritur? Et negamus per modò deducta.

§. 36. Penè præterieram, quòd jura Feudalia vasallum feudo mulctent, qui uxorem domini osculatus est. *c. 1. vers. si fidelis. ibi: turpiter luserit. Quem. Feud. amitt. 1. FF. 5. Vultejus de Feudis cap. 10. conclus. 23. n. 1.* Qui Ddres forte intelligendi, si præter osculum tactus lascivior accesserit, alioquin pœna hæc severior, quàm ut apud nos ob solum osculum irroganda sit, textu ipso pro nobis faciente, verbis: *turpiter luserit.*

§. 37. Executiendæ superessent quæstiones aliquam multæ, & inter has an osculum indicium faciat ad torturam, de quâ *Bocer. de quæstion. & tortur. cap. 3. n. 109. & Zanger. de quæstion. & tortur. cap. 2. n. 74.* quas tamen ad finem properantes præterimus in præfens, & colophonem huic dissertationi nuptiali imponentes monemus prurientem & lascivientem juventutem, ut oscula foeminarum luxuriosarum omni declinet modo, nisi si aliqua harum lue venereâ infecta fuerit, in se transferri illam velit, contagione enim illam transire per oscula, tradit

*Joh. Fernelius de abditis rerum causis
lib. 2. cap. 14.*



00 A 6376

ULB Halle
002 916 72X


3



Sb.

107
1017





B.I.G.

Farbkarte #13

33.

ATIO JURIDICA

De

CULIS

RI SEXUI

RSO LIBATIS.

Auctore

; de M

U. D.

it qui mal y pense!



D LIMBURGI,

HANN. HEINRICI SIEVERTI,

o lcc xcv.

34

